DEI O. M. CAUSSAM
CONTRA ATHEOS

SUB AUSPICIIS

MAGNI PRÆSERTIM IN MIRACULIS THAUMATHURGI

D. ANTONII PATAVINI

PRIMI IN ORDINE MINORITICO LECTORIS NEC NON PROVINCIÆ VENETIARUM PATRONI

F. CAROLUS MONTORIO AB ORGIANO

EJUSDEM ORDINIS, ET PROVINCIÆ, ET IN LYCÆO S. BLASII PHILOSOPHIÆ AUDITOR, REGINA RATIONE, PUBLICE VINDICAVIT, & S. S. T. D. D. D.

DATA POST TERTIUM CUIQUE ARGUMENTANDI FACULTATE MORE ACCADEMICO



VICETIÆ 1793.

IN OFFICINA TURRÆANA

Superiorum permissu.

Digitized by Google

Philosophia obiter libata a Deo abducit, penitus hausta reducit ad eundem.

Verulamius de Augm. Scient. lib. I. p. 10.

Digitized by Google



THESES

THEOLOGIÆ NATURALIS.

I.

Quamvis in hoc admirabili rerum Ordine ubique idea Dei reluceat, eo quia omnia ordinate, ac concinne disposita sunt, ita ut ictus oculi sufficiat ad detegendam manum, quæ cuncta fecit, tamen proh dolor! dissimilis de illa plurimorum ratiocinatio evadit. At si depositis præjudiciis rectæ rationi aures accomodent, omnes supremam rerum Caussam, mentem intelligentissimam a qua Creatus est Orbis universus, pendet & regitur, nempe *Deum nobiscum agnoscere tenentur*.

II.

Quapropter cum recta ratio suadeat sequi quod justum est, hinc ex existentia hujus Mundi quisque summi Artificis manum luculenter deprehendere potest.

III.

Idem quoque demostrant præsertim Philosophis Viris, Argumenta Metaphysica ex necessitate Entis necessarii deducta.

IV.

Necessitas etiam primi motoris, Creatio materiæ, & admirabilis Terræ, Cœlorum, A strorum, Planetarum, Animalium cujuscumque speciei, nec non nostri corporis, nostrique spiritus intima dispositio, eandem veritatem luce clarius demostrant.

V.

Nec minus id nobis suadet unanimis, constansque omnium ubique terrarum veterum Nationum Consensus.

VI.

Præter propter eandem veritatem ipsæ quoque feræ, & barbaræ Nationes non multis ab hinc annis ab Europæis sagaci industria detectæ, & a Baylio aliisque ejusdem furfuris in triumphum iniquitatis falso adductæ, confirmant.

VII.

Merito itaque hujusmodi Universalis consensus cum Romanæ eloquentiæ facile Principe *Vox naturæ* appellari potest.

VIII.

Vah! ergo quam subdolus error sit eorum qui simul cum Epicuro Mundum fortunæ tribuendum censent, & cæco Atomorum nexu omnia veluti ex suprema causa nasci, omniaque dissolvi autumant.

IX.

Hinc Atomos æternas, necessarias per inane infinitum circumvolitantes, per lineam rectam simul, & perpendicularem necessario sese moventes, immutabiles, immortales, infinitas &c: ex

quarum necessario concursu omnia in rerum ordine constructa fuere, Argumentum esse extremæ dementiæ facile deprehenditur ex prop. 2. 3. 4. & seq.

X.

Igitur sive materia sive Atomi ex sua natura necessario, nec potuerunt existere, nec non nisi falso & chimerico motu *essentialiter*, ut supponitur, præditæ sunt.

X I.

Immo dato etiam in Atomis, at non concesso hujusmodi motu essentiali, juxta Epicureorum doctrinam, nihil tamen novi, vel rationale, vel ordinatum in rerum natura constituere possunt.

X I I.

Nec ipsum *Clinamen*, seu inflexio illa Atomorum a laborioso, & ceteroquin erudito Poeta Lucretio inventum, ut propositi systematis doctrinam sustineat, quidquam valet.

X I I I.

Quapropter cum Atomorum parentes, ex præcedentibus, proprio ense sese confodiant, sileant modo simul cum adseclis, & ora pudoris velamine contegant.

X I V.

Nos itaque qui adspectabilem rerum ordinem cæco Atomorum concursu (ex prop. 2. 3. 4. & seq.) haud concedimus constructum, nec filiam fortunæ rationem facimus (11) uni veritati addicti (1) jure ad reddendam rationem Mundi existentis, ad mentem intelligentissimam confugimus.

Digitized by Google

XV.

Ac proinde ex prop. 9. merito Deum solum Entem necessarium statuimus.

XVI.

Similiter ex prop. 9. etiam ipsum solum æternum agnoscamus oportet.

XVII.

Ex eadem prop. 9. judice ratione (11) Deum solum omnipotentem adfirmamus.

XVIII.

Quod si necessarius (15) si æternus (16) si omnipotens (17) non minus sapientissimus censendus est Deus.

XIX.

Quis porro neget consulta atque explorata ratione (4. 11.) ipsum solum etiam esse infinitum?

XX.

Quod si infinitus (quidquid contra cæca Gentilitas): ergo unicus.

XXI.

Cum vero Atomi non sint æternæ (9), sed solus Deus sit æternus (16), & materia sit Creata (4) Accademicorum systema de æternitate Mundi e fundamentis ruit.

XXII.

Quid porro! Spinosæ de Mundi simul & Dei origine Systema in quo unicam substantiam immensam, infinitam, æternam partibus ullis individuam, cogitatione simul & extensione præditam effinxit, ex qua Mundum, & Deum indiscriminatim composuit, simulque cum ranis ac muribus confudit, in triumpho ne erit? minime gen-

tium. Nam cum Atomi non sint æternæ (9. 17.), nec ipsemet mundus sit æternus (21.), multumque temporis ad istud Systema penitus convellendum requiratur, ideo solum ob absurdas consequentias, quæ prono fonte fluunt, ab unoquoque sano rejiciendum esse existimamus.

XXIII.

Itaque sicuti nec poma sine arboribus, nec sine terra & semine fruges exurgerent, ita sine mente intelligentissima (1) potentissima (17) unica (20) &c. compago hujus Mundi minime progigneretur.

XXIV.

Proinde cum unica (20) sit rerum caussa omnipotens, sileant duo summa Manichæorum Principia.

XXV.

Hæc porro omnipotens, & unica rerum caussa, sicuti Mundum sua virtute creavit (14), ita suis Creaturis eadem virtute universaliter providet.

XXVI.

Quæcumque ergo in admirabili rerum ordine vides, omnia Creata fuere, divinæque Providentiæ subjecta sunt; jam hæc, nec vi naturæ, nec casu evenere, ut liquet ex 2. 3. 4. & seq. sed tantum illius libero arbitrio qui potentissimus est (18) &c.

Quapropter fractis demum Armis victrice ratione, auxiliante ipsamet caussa omnipotente &c., quibus gens inimica Deo suæque libidinis tantum amica existentiam evellere conabatur, fugam ca-

pientibus, merito exclamamus: oh quam deploranda conditio Atheistarum, & secura Theistarum! Deus cordis nostri, æterna portio nostra quis similis tibi!

FINIS.

Disputabuntur in Ecclesia S. Blasii An. 1791. die Mense Augus.

Disputationi præerit P. F. Augustinus Kwjungich a Cressevo Bosnensis renovati studii ibidem primus in ordine Philosophiæ Lector.

Digitized by Google

(23
sch.

Digitized by Google

pientibus, merito exclamamus: oh quam deploranda conditio Atheistarum, & secura Theistarum! Deus cordis nostri, æterna portio nostra quis similis tibi!

FINIS.

Disputabuntur in Ecclesia S. Blasii An. 1791. die Mense Augus.

Disputationi præerit P. F. Augustinus Kwjungich a Cressevo Bosnensis renovati studii ibidem primus in ordine Philosophiæ Lector.

Digitized by Google

(23
sch.

Digitized by Google

pientibus, merito exclamamus: oh quam deploranda conditio Atheistarum, & secura Theistarum! Deus cordis nostri, æterna portio nostra quis similis tibi!

FINIS.

Disputabuntur in Ecclesia S. Blasii An. 1791. die Mense Augus.

Disputationi præerit P. F. Augustinus Kwjungich a Cressevo Bosnensis renovati studii ibidem primus in ordine Philosophiæ Lector.

Digitized by Google

(23

sch.

Digitized by Google

pientibus, merito exclamamus: oh quam deploranda conditio Atheistarum, & secura Theistarum! Deus cordis nostri, æterna portio nostra quis similis tibi!

FINIS.

Disputabuntur in Ecclesia S. Blasii An. 1791. die Mense Augus.

Disputationi præerit P. F. Augustinus Kwjungich a Cressevo Bosnensis renovati studii ibidem primus in ordine Philosophiæ Lector.

Digitized by Google